

49 Disp.II.Part.III.de varijs mat: I. difficult. 50

tamen causa materialis mendicet à suo effectu, qui est eius causa in altero genere causæ; eo quod causæ sint sibi inuicem causæ ex elato Metaph. text. com. secundo. Imò contra Scotistas, sic arguere possent Thomistæ: essentia materia, vt distincta contra suam existentiam, causat ex natura rei, in genere cause materialis, suam existentiam, recipiendo eam; ergo sibi pro illo signo conuenit existentia; & sic habet existentiam, antequam recipiat eam, quod implicat: similiter stando in illo signo, aut essentia materia recipit ex natura rei suam existentiam, quando est, aut quando non est; si quando est, ergo non potest amplius recipere: si quando non est; ergo quando non habet existentiam causat, scilicet illam recipiendo: Et hæc ratiocinatio fundatur in eo quod Scotista ponant distinctionem ex natura rei, seu formalem inter essentiam & existentiam.

Ad sextum. Respondent negando Maiorem, & ad eius probacionem dicunt, non solam dependentiam, sed necessariam connexionem aliquorum posse esse causam inseparabilitatis eorum. Ad id verò quod adducitur ex Metaphysica, dicunt vniuersalem affirmatiuam non conuerti simpliciter, ita enim est vera: quacumque possunt esse sine alijs, & alia non sine ipsis, sunt priora; sed non conuertitur: quacumque sunt priora possunt esse sine alijs & alia sine ipsis: Imò neque hoc videtur verum in doctrina Scotti dicentis, partes essentiales esse priores toto, non tamen posse esse sine toto; nam v. g. quantitas est prior figura, non tamen potest esse sine figura, quia omnis quantitas debet esse linea, ergo linea redit, aut curuā, aut circulari, aut aliqua alia; omne enim terminatum est figuratum; nam figura est quod termino vel terminus clauditur.

Ad septimum. Respondent aliqui Thomistæ, quod posito illo casu annihilaretur materia. Respondent alii, & forte melius, Deum agere ad extra ex necessitate naturæ, dupliciter posse intelligi. Primo simpliciter, & sic negatur consequentia, nec probatur in hoc sensu: alio modo conditionaliter, & præsupposituè, & sic conceditur consequentia; sed negatur illatio Scottistarum; Posito enim quod Deus producat hominem, necessariò producit risibilitatem, saltem in potentia, & in radice: & similiiter præsupposito illo casu, necessariò coagit agenti naturali ad introductionem alicuius formæ.

Ad octavum. Respondent aliqui Deum supplerre defectum formæ. Respondentalij, annihilatâ animâ rationali, statim pullularer ex potentia materiæ alia forma, & quando discedit anima rationalis à corpore, materiæ hominis est sub forma cadaveris: quod si Deus nollet coagere ad introductionem alterius formæ, dum discedit anima, tunc dicunt materiam peritram.

Ad nonum. Respondent licet ordo formæ ad materiam sit essentialis, sicut ordo materiæ ad formam; hanc tamen esse disparitatem, quod unus ordo sit actualis, alter passius, seu potentialis, unusque plus habeat entitatis, quam alius,

& proinde minorem dependentiam ab alio. Ad Confirmationem autem dicunt correlativa quidem æquiparantia, seu æqualis rationis, simul esse debere, non verò disquiparantia: quo patet se habent materia & forma. Adde quod etiam potest dici esse disparem rationem animæ rationalis & carterarum formarum; quia illa est spiritualis, & in suo esse non dicens ordinem ad materiam, sed solum secundum rationem formæ, quam habet; quo sit, ut cum in ea sit præstantior essentia, quam actus, sic possit existere sine actuazione: at verò quia ceteræ formæ sunt dependentes à materia, & quoad esse, & quoad existere, sic nullo modo possunt existere sine materia: quo sit vt dici queat non posse Deum conferuare formam equi sine materia equi, quia est penitus materialis, & immensa in materia, cum sic se habeat ad esse, sicut ad produci, at necessariò debet produci dependentia à materia; quia licet effectuè suppleri possit, non tamen subiectiuè, quare non poterit forma equi separata permanere à materia equi.

DECISIO.

Resolutio prima. Materia prima de se habet actum entitatiuum, hoc est, illa entitas, quam habet materia prima de se & independentia à forma, est quadam actualitas Metaphysica. Probatur primo ex principio Scottistico: omnino quod est ens extra causas, habet actum entitatiuum; sed materia prima est verum ens positum extra causas, ergo habet actum entitatiuum. Minor patet, Maior probatur: quod opponitur potentia obiectiva, est actus entitatiuum: sed ens positum extra causas opponitur potentia obiectiva, ergo habet actum entitatiuum, seu est actus entitatiarius: negant Thomistæ ens opponi potentia obiectiva, quia nullam talen potientiam volunt dari, sed quod necessariò illa debeat adiungi ex professo probatur à nobis in Metaphysica; quare non in ea habilienda immorandum hic est; illa autem admisæ, necesse est veritatem resolutionis admittere.

*Nom. 19.
Determinat
autem quod
materia pri-
ma de se ha-
bet actum
entitatiuum.
Prob. primò.*

Confirmaturque ex eo quod dum res transit ab esse possibili ad actualem, acquirat aliquem actum saltem omnium actuum minimum, qui actus omnium minimus est entitatius, vnde fieri potest argumentum: Res qua transit à possibili ad esse actualem, amittit potentiam: sed nihil amittit potentiam, nisi per acquisitionem actus, ergo materia prima dum transit ab esse possibili, acquirit actum, ergo habet aliquem actum, nisi enim acquireret actum dum producitur, remaneret semper in esse possibili, & sic eodem modo se haberet materia post sui productionem, atque antea; ante enim sui productionem habebat esse potentiale, seu possibile, ergo nisi post productionem haberet aliquod esse actuale, retineret semper suum esse possibile, quod habebat ante productionem, quod tamen dici nequit: ex quo patet non modo materiam primam esse aliquod ens positivum, sed etiam illud ens positivum, quod est materia prima debere dici quendam actum, imperfectum tamen;

*Conforma-
tur.*

C qui